

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Menippus sive dialogorum satyricorum centuria inanitatum nostrativum speculum

Andreä, Johann Valentin

Cosmopoli [i.e. Straßburg], 1618

47. Reformatio

[urn:nbn:de:bsz:31-107424](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-107424)

47. REFORMATIO.

A. GAUDE amice. B. Gaudere desuevi. A. At hoc solidum gaudium est. B. Nesci gaudebo quidem. A. Quod votum tuum, & bonorum omnium, id præ foribus est. B. Vellem jam introisset, multa cadunt inter calicem supremæque labra. A. Scito nobis Reformationem diem dixisse, quo de rebus nostris omnibus dispicere velit. A. Ah languidam spem, & solidum metum! A. Quem metum? B. Ludibrij alicujus, quod querelis nostris post acerbum risum superimponatur. A. Nimum suspiciosus es. B. Vah! nescis tu illas reformationum promissiones, validissimas extorsionum species esse, quibus simpliciores animi justa indignatione exuuntur, & ad novam turpemque patientiam remittuntur. A. Atqui non licet videntibus, & rerum emendationem efflagitantibus imponere. B. Facillime; modo pompa aliqua, tragico apparatu, magnoque strepitu, & verborum cothurnis res peragatur: is enim vulgi morbus est, ut auribus potius, quam oculis credat. A. Nonne vero nisi palam adfit, quod fieri sibi contendit, nunquam acquiescet? B. O te simplicem! quasi vero non minutum aliquid increpare aut loco etiam movere, ac simul generalis alicujus reformationis spem facere liceat. tolle minutias aliquas & satisfacisti, vel sane in aliquot tempora ab importu-

na reformationis efflagitatione temet liberaſti : adeo facile eſt projectis nucibus multitudinem capere. A. Nefcio quam animus meus præclara ſpe excidit, adeo me exemplis quibuſdam tetigiſti. B. Noſtrum itaq; erit Mundum, qualiſ qualis ſit, ferre, neque emendationem ejus vnquam ſperare, cum deterior nunquam ſit, niſi cum correctionem & pœnitentiam ſimulat. Interim ſi quis magno ſtrepitu redintegrationes rerum pollicebitur, ridebimus certe eam eſſe Mundo impositam legem vt noctuarum exemplo tâto cæcuriat profundius, quanto lumen circumiens habet copioſius. A. O vale reformatio. B. Vale equidem; nec enim te his terris unquam videbimus.

48. NERONIS ENCOMIUM.

A. Tandem vero repertum eſſe, qui Neronis encomium ſcripſit, ô ſcelus! B. At is apud me magnam gratiam iniit. A. Tibine jucundum ſit audire excuſata terræ monſtra, humani generis peſtes? B. Vt humanum ingenium eſt, nihil mihi vſque adeo abſurdum monſtroſumque videri poteſt, quod tantum imperij & licentiæ faſtigium perſuadere, imperare, denique excuſare non poſſit, niſi ſe Deus interponat. A. Quid ergo de ijs dicemus, qui laudabiliter & innoxie in ſublimi illo loco ſunt verſati. B. Aliquid ultra humani præſtitiffe, Dei ſcilicet beneficio, qui ſic miſericordiam ſuam voluit Mundo